adiuuare eidemq; ſathanā conductum adderet. et hortaret quia tenemus ſuper hoſtiū terras tales mulieres grandines fulmina et tempeſtates, pcurare. vt ſic hoſtium terrā periclitare moliretur. Etenim quia videmus q̄ ipſe talia facere non poteſt etiā ſi vellet. Ad faciendūq; etiam ſi a principibus (quod tamē abſit) induceretur. Unde inferendū cenſeo ipſas talia facere non poſſe. Preterea ex fide habemus ſolū deum ſtellarum et elementorum eſſe gubernatorem. qui legem paritura liberaeq; qui (ſm Boetium iii. de cōſolatione) ꝑpetua mūdum ratione gubernat. ſtabiliſq; manēs dans cuncta moueri. Quō igitur tales mulieres adiutorio demonū illum ſummū motorem (certa ratione omnia gubernantem) in huiuſmōi ſuo motu impedire. ⁊ in aliū motum dirigere poſſent. ¶ Conradus. Ponderanda quidem eſt magni principis ratio. Sed nō minus ponderandū eſt illud q̄d. Exodi vij. dicitur. Nam cum moyſes ante faciem pharaonis regis egipti multa ſigna et pdigia feciſſet. nihilominus malefici etiam talia ſimiliter efficerunt. qui incantationibus ſuis aquam in ſanguinem verterunt et ranas ſuper terram pduxerunt. Ecce igitur ex ſacra ſcriptura veteris teſtamenti clarere. q̄ malefici adiutorio demonum aquas turbarunt quia eas in ſanguinem verterunt et agros prediaq; ranis confuderunt. Item in primo libro iob. c. primo legitur q̄ dyabolo pcurante ventus vehemens irruit in regione deſerti et cōcuſſit quatuor angulos domus que corruens oppreſſit liberos iob ⁊ mortui ſūt. Ecce q̄ dyabolus poteſtate ſua aerem pvocauit et pueros oppreſſit. Dicitur etiam eodem li. dyabolū fulmina ignis pvocaſſe. Dicit enī textus ignis dei cecidit de celo. et tactas oues pueroſq; cōſumpſit. Item Johannes. apoca. ſeptimo ca. Poſt hec vidi angelos ſtantes ſup quatuor angulos terre tenētes quatuor ventos ne flarent in terram. neq; in mari neq; in vllā arborem. Et vidi alium angelū deſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum dei viui. et clamauit voce magna quibus datum eſt nocere terre ⁊ mari dicēs. Nolite nocere terre neq; mari neq; arboribus quouſq; ſignemus ſeruos dei in frontibus eorum. ¶ Sigiſmūdus. Doctor qui ſunt illi quatuor angeli quibus ait iohannes eſſe datū poſſe nocere terre mari ⁊ arboribus.